



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

14 Confirmationis Sacramentum ex Papae delegatione à simplicibus
presbytero conferri potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cultatem illud ministrandi possint solis
 14 presbyteris delegare, tamen ex delegatio-
 ne Papæ simplex sacerdos baptizatus con-
 firmationis Sacramentum potest ministra-
 re, *glos. 1. in eod. c. quanto, in fine, de consuet.*
 & ex administratione Sacramenti confir-
 15 mationis ꝑ oritur impedimentum cognati-
 onis spiritualis impediens matrimonium
 contrahendum, & dirimens contractum, 18
 Conc. Trid. *cap. 2. de resor. sess. 24*

16 Ordo vero ꝑ est proprie unum ex sep-
 tem Ecclesiæ Sacramentis à Christo Do-
 mino institutum, Conc. Triden. *cap. 3. &*
can. 3. de sacr. ord. sess. 23. Fuerunt distribu-
 ti ordines in majores, & minores, ut dig-
 nius, & majori cum reverentia sancti sa-
 cerdotii ministerio possit deserviri, *c. 2. &*
can. 2. ead. sess. qui in Ecclesia militante
 sunt septem, videlicet Ostiarius, Lecto-
 ratus, Exorcistatus, Acolythatus, & hi di-
 euntur minores, Subdiaconatus, Diaco-
 natus, & Presbyteratus, qui sunt majores,
 & sacri, à quibus retrocedere non licet,
c. erubescant, 32. dist. & Dec. in c. cum in
cunctis, n. 2. de elect. & ordines imprimunt
 characterem, atque in eorum collatione
 accipitur Spiritus sanctus, *c. consultationi*
de temp. ord. & ca. 4. de sacr. ord. sess. 23.

17 Sed, quoniam ꝑ queritur inter Theolo-
 gos, & Canonistas, an scilicet Episcopatus
 sit ordo, & nonnulli secundum eorum re-
 ceptiorem sententiam, tenent opinionem
 affirmativam. Illa procedit, quatenus or-
 do dicitur officium quoddam, & potestas,
 respectu quarundam sacrarum actionum,
 quæ sacerdoti non cõpetunt; non autem,
 quòd censeatur verus ordo distinctus ab
 aliis, quatenus est Sacramentum, & cha-
 racterem imprimit, cum non habeat Epi-
 scopus majorẽ, aut distinctam potestatem

supra corpus Christi verum, quàm Sacer-
 dos simplex, quapropter Episcopatus pro-
 prie ordo non est distinctus à Sacerdotio:
 & ita post S. Tho. n. in 4. *sent. dist. 24. q.*
3, art. 2. & Ricard. Palud. *q. 7.* Sylvestr.
 Cajet. & Abb. *in cap. ex litteris, de excess.*
Prelat. ac alios, quos citat, distinguit, &
teacet Covar. d. cap. 10. num. 15.

18 Presbyter ordinandus ꝑ stola utroque
 humero ambitur, & Episcopo eum bene-
 dicente, & manum super caput ejus te-
 nente, etiam omnes presbyteri præsentis
 manus suas super caput illius ponere de-
 bent, *c. presbyter, cum seq. 23. dist.* & dum
 ipse consecrat, cunctis sacerdotibus sin-
 gillatim dicit, consecrare, & sanctificare
 digneris manus istas per istam unctiõne,
 & nostram benedictionem, ut, quæcunque
 benedixerint, benedicantur, & quæcunq;
 consecraverint, consecrentur, & sanctifi-
 centur in nomine Domini N. Jesu Christi,
 ut in Pont. Rom. jussu Clement. VIII. nu-
 per edito, *folio 66. & cap. generaliter, S.*
utrisque enim, 16, q. 1. Diacono, dum or-
 dinatur, solus Episcopus, qui eum bene-
 dicit, manus super caput ponit, quia non
 ad sacerdotium, sed ad ministerium con-
 secratur, *c. Diaconus, 23. dist.* Subdiaconus
 manus impositionem non accipit, sed ca-
 licem vacuum cum patena, vacua super-
 posita ab Episcopo porrectum dextera ma-
 nu tangit, & de manu Archidiacon. tangit
 urceolos cum vino, & aqua, ac bacile cum
 manutergio, *cap. Subdiaconus, ead. dist.* &
 antiquitus Subdiaconatus non erat ordo
 sacer, *cap. nullus in Episcopatum, 60.*
dist. inter eos fuit postea connumeratus,
cap. erubescant, 32. dist. & cap. à multis de
arat. & qualis. Acolythus, dum ordinatur,
 ab Episcopo est docendus, & qualiter in
 officio